


[illegible] Barthol: Quaestio de prohibita rerum ecclesiasticarum alienatione.

~~2429 Prawo.~~

# QVÆSTIO
## DE
# PROHIBITA RERVM
## Ecclesiasticarũ alienatione,

*QVAM*

*Præsidente Adm. R. & clariss. Dño,*

D. IACOBO NAYMANOWIC, I. V. D. & Professore Ordinario, Archidiacono Pilecen. &c.

*M. BARTHOL: JANVSCHOWIC*

*Bursæ Iurisperitorum Senior, pro consequenda prima in Iure vtroque laurea ad disputandum proponet.*

In Collegio DD. Iurisperitorum, Mense Iulio, Die 12 Hora 7 Anno M. DC. XXII.

*Permissu Magnifici D. RECTORIS.*





Cracouię, Typis Matthię Andreouiensis.

# In Stemma Acad. Crac.



*Insignis duplici nostra est Academia Sceptro,*
*Forte quod Imperij Ius vtriusq; docet.*

# QVAESTIO.

## *Ex Cap.* Nulli liceat.

## Ext. De rebus Ecclesiæ nō alienandis.

## *Iuncta L. Jubemus.*

## C. DE SACRO SANCTIS ECCLESIIS.

V. Prælatus rem Ecclesiasticam mobilem sine consensu Romani Pontificis, alijsue solennitatibus à iurè requisitis extra casus legibus descriptos vendere, donare, & alio quo vis modo alienare valeat nec ne?

## Conclusio Prima.

Res Ecclesiæ mobilis, quæ alicuius momenti est regulariter, à Prælato extra requisita iuris solennia alienari non potest.

## Corollaria.

1. *Quæ seruando seruari non possunt, de his Prælatus disponere pro arbitrio, sinè solennitatibus poterit.*

*2. Res immobilis, primò quidem & præcipuè alienari prohibetur; si tamen sit exigua, alienatio eius etiam non solennis tenebit.*

*3. Supellex Ecclesiæ preciosa dicitur, res mobilis magni momenti, pecunia verò in ærariò ab antiquo deposita, ad emendosquè census & fundos destinata, immobilis censetur: vtraq; tamen hæc, eodem iure alienationis prohibito gaudet.*

*4. Res controuersæ, maximè quas Prælatus scit ad Ecclesiam non pertinere iustè, possunt validè, non adiectis solennitatibus, suis dominis reddi.*

*5. Non solùm ea quæ sunt Ecclesiæ actu, Prælatus alienare non potest, sed ne ea quidem, quæ ad Ecclesiam peruenire iure possunt, remittet: vt tutius sit, non tantum in acquisitis, sed etiam in acquirendis, Prælatum sine circumstantijs iuris, Ecclesiæ præiudicare non posse: proinde, si contingat ab ea fieri transactionem de re controuersa, magis secura, erit, si ei Romani Pontificis consensus accedat.*

## Conclusio Secunda.

Ad antiquas solennitates & causas, in alienationibus rerum Ecclesiæ, Romani Pontificis consensus omnino est necessarius.

## Corollaria.

1. Con-

*1. Consensus Pontificis, supplet defectum reliquarum solennitatum; vt, quamuis constat, eas esse omissas, dum hic intercesserit, teneat alienatio.*

*2. Solennitates communes, spatio 30. annorum vel 40. intercessisse praesumuntur.*

*3. Consensum Papae praesumptum, absolutè 30. vel 40. anni non inducunt, sed duntaxat, si aliunde coniectura sit, eum de alienatione sciuisse, nec contradixisse, rectoresq́; Ecclesiae eam tanto tempore tolerauisse.*

*4. Inter causas alienationis, princeps est necessitas: hoc verò interest inter causas necessitatis & vtilitatis, quòd vtilitatis causa, effectum suùm habere debeat, ad validitatem alienationis; in causa verò necessitatis, sufficit vt alienatio ex necessitate incipiat, quamuis exitum non sortiatur.*

*5. Cuius momenti est consensus Papae inter solennitates, eiusdem inter causas necessitas: quae si vrgeat, etiam consensum Pontificis ab alienatione excludit, & mutat in rati habitationem.*

# Conclusio III.

Omnis contractus, quo transfertur dominium, diminuituruè patrimonium Ecclesiae, sub alienatione prohibita comprehenditur.

 Corol-

## Corollaria.

1. *Hipoteca rei immobilis, & Pignoratio rei mobilis preciosæ, à Prælato extra modum iuris facta, non subsistit.*

2. *Non solum actus non valet, vbi transfertur dominium directum, sed etiam vbi vtile.*

3. *Locatio rei, ad triennium duntaxat est licita: sed si res non fructificet singulis annis, potest locari ad perceptionem fructuum trinam duntaxat.*

4. *Res Ecclesiastica, in Emphiteusim dari potest tribus concurrentibus: primò, vt soleat antiquitus in Emphiteusim concedi: 2. Vt Emphiteusis sit vtilis: 3. Ne vllum intercedat impedimentum.*

5. *Extrauagans Ambitiosæ, quamuis in plerisq; locis non sit recepta quoad extrinseca; quoad intrinseca tamen, quorum magna pars superioribus explicatur, vbiq; locorum eam tenendam arbitramur.*



# ACROSTICHI GRATVLATORII
*Excellenti Viro,*
D. BARTHOLOMÆO IANVSCHOWIC, Artium M. & Philoſ. D. Contubernij Iuriſperitorum Seniori, dum pro gradu BACCALAVR: in V. I. obtinendo, reſponderet.

B onis, Dianæ frater, ingeniis fauens
A deſto, ſacro cinctus Aonidum Choro:
R itus celebris publici Actus, vos vocat,
T angereque læta pollice iubet nablia.
H onore, veſter ſedulus cultor, nouo
O rnatur, illi Diua dat primam Themis
L aurum, VTRIVSQVE IVRIS efficitur enim,
( O nuncia nimis læta!) BACCALAVREVS.
M eritoque talem dignitatem ille occipit.
Æ tate quippe teneriore, ſtrenuam
V irtuti, & omni diſciplinæ, ac artibus
S ublimiora quæque perſcrutantibus,
I mpendit operam; Matris inclytæ ab vbere
A cademiæ, hauſit lac ſcientiæ optimum:
N ec rebus vnquam defuit Academicis,
V incens labores quoſque pectore Herculis,
S uique ſemper muneris & oneris memor.
C olchos petiuit, ſcilicet adyta Iurium,
H onoris vt vellus referret âureum:
O quàm ſecundo nauigauit flamine!
V oti fit ecce compos, optata obtinet.
V iuat ſuperſtes ergo, ſcandat & altiùs.
I ntonſe Phoebe precare, cum Muſis idem,
C unctique docti Matris almæ Filii.

*M. Andreas Haſkowſki.*

# ODE TRICOL. TETRAS.

*Ad Excellentiss.*

## D. BARTHOLOMÆVM IANVSCHOWIC,

*Primam in vtroq; Iure Lauream in Acad. Crac. accipientem.*

AD sancta Sacræ Templa scientiæ
Quæ regna iusto seruat in ordine
Legesque descriptas in orbem
Consilio meliore fundit.
Labore multûm sollicito nouus
Venis Sacerdos, indolem vt insciam
Legumque sanctarum imperitam,
Iustitiam doceas: Voluptas
Tuum eruditum pectus inebriet
Hinc quanta; nobis non opus indice,
Nec augurari permolestum est,
BARTHLOMÆE IANVSCHOVICI.
Qui scimus illas immemores tuæ
Curas salutis; quà & patientia
Affixus ad libros tulisti
Tot mala, tot quoque passiones.
Tristi quid acres si faciem cui
Pallore pingunt sollicitudines!
Istum tuum inspectans honorem
Purpureum decus induetur.
Fauemus omnes nam melioribus
Factis, & ardet nullus ab inuido
Accensus igni, dum celebri
Laureolam capit apparatu.
Beata virtus. Tu venerabilis
Vir, Dignitate hac, quam peperit tibi
Multus labor, multusque sudor
Vtere temporibus futuris.
Hæc est tuorum gratificatio.
Et hæc amicis Vota fidelibus.
Vt maior Annis, sic Honore
Quotidie gradiare maior.

M. Andreæ Zagorny.

